

DE BELLO CIVILI LIB. I

a colloquio Canini digressus ad Pompeium proficiscitur. Paulo post renuntiat, quod consules absint, sine illis non posse agi de compositione. Ita saepius rem frustra temptatam Caesar aliquando dimittendam sibi iudicat et de bello
5 agendum.

Prope dimidia parte operis a Caesare effecta diebusque 27
in ea re consumptis VIII, naves a consulibus Dyrrachio remissae, quae priorem partem exercitus eo deportaverant, Brundisium revertuntur. Pompeius, sive operibus Caesaris 2
10 permotus sive etiam quod ab initio Italia excedere constituerat, adventu navium profectionem parare incipit et, quo facilius impetum Caesaris tardaret, ne sub ipsa pro- 3
fectione milites oppidum irrumperent, portas obstruit, vicos plateasque inaedificat, fossas transversas viis praeducit
15 atque ibi sudis stipitesque praeacutos defigit. Haec levi- 4
bus cratibus terraque inaequat; aditus autem atque itinera duo, quae extra murum ad portum ferebant, maximis defixis trabibus atque eis praeacutis praesepit. His paratis rebus 5
milites silentio navis conscendere iubet, expeditos autem ex
20 evocatis, sagittariis funditoribusque raros in muro turribus-
que disponit. Hos certo signo revocare constituit, cum 6
omnes milites navis conscendissent, atque eis expedito loco
actuaria navigia relinquit.

Brundisini Pompeianorum militum iniuriis atque ipsius 28
25 Pompei contumeliis permoti Caesaris rebus favebant. Ita- 2
que cognita Pompei profectione concursantibus illis atque in ea re occupatis vulgo ex tectis significabant. Per quos re cognita Caesar scalas parari militesque armari iubet, ne quam rei gerendae facultatem dimittat. Pompeius sub
30 noctem navis solvit. Qui erant in muro custodiae causa 3
collocati eo signo quod convenerat revocantur notisque